



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIV. De Conscientiâ dubiâ in materiâ dispensationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

gulares pueros expositos: tum ob rationem proximè assignatam: tum quia Gregorius XIV. in quadam Bullâ editâ anno 1591. declaravit, expositos pro legitimis habendos: tum quia ob parentum paupertatem sapissimè exponuntur etiam filii legitimi: tum etiam quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probatur contrarium, ut supra diximus. Ita Anan. in cap. 1. de Infant. exposit. n. 11. Felin. cap. Cum deputati, de iudiciis, P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 24. num. 246. P. Agid. de Sacram. d. 18. dub. 12. num. 205. P. Præposit. quest. 5. de Irregul. dub. 16. num. 127. P. Turrian. lib. 9. de Censur. d. 71. dub. 1. P. Henric. lib. 14. de Irregul. cap. 10. litt. L. P. Bauny, Pellizet. & plures alii, quos citant, & sequuntur Dian. part. 2. tract. 15. Resol. 22. & part. 4. tract. 2. resol. 58. & Leand. tomo 5. tract. 2. d. 3. quest. 6. ubi etiam plures adducit pro contraria sententia. Unde tales possunt ad ordines promoveri sine dispensatione; non tamen admitti ad Officium, quod requirit filios legitimos; siquidem qualitas requisita non sufficit, si solum sit præsumpta, ut ex iure probat Lara lib. 2. cap. 4. n. 38.

316. Deducitur septimò, quando quis in dubio facti homicidii censetur irregularis, intelligendum esse quoad privationem suscipiendi ordines, acin illis ministrandi, quam ipsa irregularitas intrinsecè includit: non ita tamen quoad alias pœnas à iudice imponi solitas, qualis est privatio beneficiorum, & similes; siquidem pœna ordinaria statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubii qualitate. Ita Sylvest. Major. Rodrig. P. Vafq. 1. 2. d. 66. cap. 1. n. 5. P. Soar. tomo 5. in 3. p. d. 40. sect. 6. Sayr. in clavi lib. 1. cap. 13. n. 24. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 19. n. 176. & P. Sanch. lib. 1. sum. cap. 10. n. 45.

317. Deducitur octavò, si quis in dubio juris de irregularitate, non adhibita diligentia ad veritatem assequendam, ordines suscipiat, peccare mortaliter, posse tamen in illis ministrare post adhibitam diligentiam, manente eodem dubio; siquidem in dubio juris ille nec est irregularis, neque aliâ censurâ innodatus, prout supra diximus, sed solum deliquit, quatenus diligentiam illam non adhibuit, ut tenebatur; huic autem negligentia nulla censura, aut irregularitas iure statuitur. Ita P. Sanch. cit. n. 46. cōtra P. Soar. cit. sect. 5. n. 19. & P. Pal. cit. sect. 18. n. 169.

318. Deducitur nonò, si quis in dubio facti homicidii fiat irregularis, & temerè prout sic voluerit ordines suscipere, teneri, si interrogetur, suam incapacitatem fateri, ut constat ex cap. Nisi cum pridem, de Renunciatione, versu Pergravi. ibi: Licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subicere, id est, Non debuerit, ut ait Gloss. ibid. Et cap. Innocent. de Elect. vers. Multa enim, & cap. Ex penitentibus, dist. 50. ibi: Deponatur, quia se ordinationis tempore non prodidit. Ita cum multis docet P. Sanch. lib. 3. de Matr. d. 14. num. 2. Ubi idem dicit de eo, qui ætatis defectum pateretur, velletque ordines prout sic suscipere: & de illo, qui impedimento ligatus vellet matrimonium contrahere; uterque enim rogatus teneretur vitium suum occultum fateri, aut ab intento opere desistere.

319. Deducitur decimò, Judicem, qui dubius esset, an aliquem ad mortem damnaverit, non esse censendum irregularem; idemque dicendum de milite, qui dubitaret, utrum in bello iusto aliquem occiderit; siquidem in his casibus dubium versatur circa factum homicidii, non autem circa personam, quod necessariū est, ut quis in dubio facti homicidii censetur irregularis; debet enim constare de delicto, id est, de homicidio, & esse dubium, an hic, qui cen-

sendus est irregularis, illud commiserit, prout constat ex supradictis. Ita P. Bard. discept. 6. cap. 7. §. 9. P. Gibal. de Irregul. cap. 4. q. 1. num. 25. & cum illis Diana p. 11. tr. 6. resol. 24.

SECTIO XIV.

De Conscientiâ dubiâ in materiâ dispensationis.

DIFFICULTAS 1. Utrum in dubio valida sit dispensatio? Affirmativè. Ita Riminald. Conf. 275. num. 17. vol. 3. & Conf. 562. a n. 16. vol. 5. P. Sanchez lib. 8. de Matrim. d. 21. num. 25. Sanctarel. tomo 1. var. q. 59. num. 1. P. Pal. tract. 3. de Legib. d. 6. pun. 16. §. 5. n. 3. Probatur, quia re stante dubiâ judicandum est in favorem valoris actus, pro quo stat præsumptio ex cap. Abbate, de verb. significatione, & l. Quoties, ff. de Rebus dubiis, & verbo &c.

Inferes: Ergo in dubio de valore dispensationis licitum erit impetranti illâ uti, & matrimonium contrahere; hoc autem non est dicendum; siquidem rem dubiam attentare, sive agere contra conscientiam dubiam, peccatum est; ergo &c. Respondeo concedendo illationem, ad cujus probationem dicimus, nullum esse peccatum, rem speculativè dubiam attentare, sive agere contra conscientiam speculativè dubiam, prout supra diximus, licet sit peccatum agere contra illam practicè dubiam, qualis non datur in hoc eventu; siquidem præsumptio illa, quæ cogit existimare in hoc dubio valere dispensationem, præponderat alteri rationi cogenti dubitare, scilicet; constituit opinionem probabilem pro valore dispensationis; qui autem probabiliter operatur, prudenter, ac proinde licite operatur.

Instabis: Pontifex concedit Ordinario, ut dispense, si preces veritate nitantur; sed quando id est dubium, non nituntur veritate; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam cum in eo dubio præsumatur pro dispensationis valore, prævalet ea pars, ut preces sint veræ, & ut causa circa quam est subreptio, non sit finalis, sed solum impulsiva, ut infra dicemus.

Urgebis: In eo eventu constat esse impedimentum, & dispensatio est dubia; sed in dubiis melior est conditio possidentis; ergo possessio stat pro impedimento; consequenterque dispensatio nulla est. Respondeo minorem esse veram, quando aliquid aliud possessioni non prævalet; in prædicto autem casu possessioni stanti pro impedimento prævalet, & præponderat præsumptio de valore actus, qui in dubio, & quantum fieri potest, præsumendus est. Ita P. Sanch. cit. num. 25.

Difficultas 2. Utrum in dubio, an causa in dispensatione tacita, vel falsò expressa, finalis sit, aut solum impulsiva, censenda sit impulsiva, & non finalis? Affirmativè. Ita Dynus, Regul. Decet. de regul. jur. in 6. Francus, Bald. Cornueus, Staphileus, Tiraq. Rebuff. Lorcas, quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 8. de Matr. d. 21. num. 20. quibus accedunt P. Granad. 1. 3. contr. 7. tract. 3. d. 17. sect. 4. num. 30. Sanctarel. part. 3. var. quest. 59. num. 5. P. Pal. tomo 1. tract. 3. de Legib. d. 6. punct. 16. §. 5. num. 3. Menoch. tomo 2. conf. 106. num. 91. Portel. part. 3. Respons. Moral. casu 8. num. 2. Diana part. 4. tract. 3. resol. 44. & 46. & alii apud citatos. Probatur, quia in re dubia semper stare debet præsumptio in favorem valoris actus, ut diximus; sed si huiusmodi causa præsumeretur finalis, corrumpere dispensatio; si verò præsumatur

matur solum motiva, & impulsiva, dispensatio subsistit; ergo &c.

325. Hinc inferitur primò, tacitâ qualitate, quam iura specialiter exprimi jubent, reddi gratiam, sive dispensationem subreptitiam, quamvis constet fore ut eâ expressâ Princeps eadem facilitate concessisset; siquidem iura exigunt tanquam formam harum qualitatum expressionem; sed forma, quam ius exigit, etiam in minimis, est observanda ad unguem ex l. 1. ff. de Liber. & posthum. & cap. Si motu proprio, de Præben. in 6. ubi deciditur ex taciturnitate beneficii, etiam modici, reddi alterius impetrationem subreptitiam, licet constet, illud beneficium tacitum non fore impedimento, quominus Pontifex conscius eadem facilitate aliud concederet; ergo &c. Ita cum multis P. Sanch. lib. 8. de Matr. d. 21. n. 13.

326. Secundò inferitur, idem prorsus dicendum esse de qualitate, quæ ex stylo Curie Romanæ est in rescriptis exprimenda; siquidem cum stylus Curie ius faciat ex cap. Quam gravi, de crimin. falsi, nec ab eo sit recedendum, ut cum multis docet Mascard. de probat. conclus. 1317. n. 51. idem de hac qualitate dicendum est, quod diximus de illa, quam iura exprimi jubent; sed taciturnitas istius redderet dispensationem subreptitiam; ergo sic illam reddet huius qualitatis taciturnitas. Ita Decius, cap. Ad aures, de Rescript. Rebuff. Menoch. Mascard. Gutierrez. Flamin. & alii, quos cit. & sequitur P. Sanch. cit. n. 16. qui etiâ cum Menoch Mascard. & Gutierrez. ibid. addit, idem dicendum esse, quando ex consuetudine Principis qualitas aliqua narrata est; siquidem consuetudo pro lege observatur ex l. minimè ff. de Legib.

327. Tertiò inferitur, quando nec ex iure, nec ex stylo Curie constat, qualitatem tacitam esse exprimendam, gratiam, & dispensationem vitari, tacita veritate, quæ est causa finalis concessionis, id est, quâ cognitâ, minimè Princeps gratiam concessisset; secus tamen, quando solum esset causa impulsiva, id est, quâ cognitâ, gratiam quidem concessisset, licet cum majori difficultate. Probatur prima pars ex cap. fin. de Filiis præbyter. in 6. ubi deciditur, non valere dispensationem ad aliud beneficium impetrandum ab illegitimo obtentam, si aliud prius impetraret, quin prioris defectus mentionem faceret: ibi: Cum non sit verisimile sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum, dispensare. Hoc idem habetur in cap. Postulasti de Rescript. & in l. Cum tale. 71. ff. de Condit. & demonstrat. ubi deciditur, tunc vitari legatum ex causæ defectu, si probetur fore, ut cognitâ veritate, testator non legaret; ergo &c.

328. Probatur secunda pars, primò ex cap. Dudum de præben. in 6. vers. Nos igitur, ubi ad valorem concessionis beneficii ponderat Pontifex, non obstat taciturnitas veri, quo cognito adhuc ipse concessisset: ibi: Considerantes quoque, quod nos exposto nobis de potestate prædicta, nihilominus litteras gratiosas daremus. Secundò, quia ratio huius subreptionis, tacita veritate, confurgit ex ignorantia talis veritatis in Principe, ac defectu voluntatis concedendi gratiam; siquidem ignorantia voluntatem videtur auferre; sed subreptio, & defectus causæ impulsivæ, quæ solum retardaret, non irritat, quæ à gratuita voluntate pendet, nec auferit voluntarium ad eorum valorem requisitam; ergo &c. Ita P. Sanch. lib. 8. de Matr. d. 21. n. 17. cum aliis, quos cit. num. 11. Licet oppositum videatur sentire P. Mol. tom. 1. de iust. d. 173. vers. Ut item.

329. Quartò inferitur, dispensationem irregularitatis

Tomo 2.

ex homicidio præbyteri contra hæc non esse subreptitiam, si taceatur occisum fuisse præbyterum; siquidem cum huiusmodi irregularitas non fuerit imposita ob gravitatem delicti, non enim fuit imposita blasphemie, neque perjurio, cum sint graviora, sed ob defectum perfectæ lenitatis, fuisse præbyterum, aut quemcumque alium hominem interfectum, est qualitas omnino extrinseca, & nihil ad irregularitatem faciens, sicque dispensationem non vitiat. Ita P. Sanch. lib. 8. de Matr. d. 21. num. 22. contra Navar. lib. 5. Concil. tit. de homicidio, Consil. 4. & lib. 1. de Rescript. Consil. 18. n. 1. Rodrig. tom. 1. sum. cap. 176. conclus. 5. n. 10.

330. Quintò inferitur, si quis proponat, se votum religionis emisisse, cum tamen emisit perseveraturum in religione, subreptitiam esse dispensationem; siquidem qualitatem intrinsecam tangentem ipsius voti substantiam tacuit; latum enim discrimen est inter votum religionis obligans ad solum ingressum bona fide, ita ut tempore novitatus liceat ex iusta causa egredi, & votum religionis obligans ad proficendum, & perseverandum. Ita Navar. sum. cap. 12. n. 47. Philarch. Lud. Lopez, Rodrig. tom. 2. sum. cap. 95. conclus. 7. n. 7. Vegetom. 2. sum. cap. 129. casu 29. & P. Sanch. cit. n. 23.

331. Difficultas 3. Utrum in dubio dispensationis tutus sit ille, cum quo dispensatur? Advertendum est, hoc dubium diversis ex causis oriri posse. Prima est, quando dubitatur, an superior dispensaturus sit legitimus. Secunda, quando dubitatur, an potestas dispensantis extendatur ad illum casum. Tertia, quando dubitatur, an sit legitima causa dispensandi. Hoc posito.

332. Dico 1. Si superior sit in possessione superioritatis, dubitetur tamen, an sit legitimus, legitime potest suo munere fungi, quando sufficienti adhibitâ diligentia, non potest id dubium vinci; imò dum ea apponitur, potest petentibus subditis eo munere fungi, tutusque erit ille, cum quo dispensatur. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. n. 2. Probatur, quia tunc superior cum sit in possessione suæ superioritatis, non potest eâ spoliari, donec constet, non solâ opinione, sed scientiâ moraliter certâ defectus legitimæ superioritatis; ergo licet potest suo munere fungi, cum in dubio melior sit conditio possidentis; consequenterque tutus erit ille, cum quo dispensaverit. Confirmatur, quia conjux dubius de valore matrimonii, licet reddat, imò tenetur, dum apponitur diligentia ad assequendam veritatem; & eâ appositâ, si dubium vincinequit, licet omnino utitur matrimonio, pro quo stat possessio, quâ ipse spoliari nequit, ut supra diximus cum eodem P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 47. & aliis; ergo idem dicendum in proposito eventu.

333. Dico 2. Si superior non sit in prædicta possessione superioritatis, & dubium sit, an sit legitimus, neque ipse legitime poterit suo munere fungi, neque ille, cum quo dispensaverit, erit tutus. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. n. 2. Probatur, quia in hoc dubio sola possessio poterat ei suffragari, simulque subdito dispensato, ut hic maneret tutus, & ille licet fungereur munere suo; sed, ut supponimus, nulla datur superioritatis possessio; ergo &c.

334. Hinc deducitur, si dubium sit, an is, cum quo est dispensandum, sit subditus ratione domicilii, aut quasi domicilii acquisiti in ea Diocesi, necessarii ad subjectionem requisitam ad potestatem dispensandi cum illo, non posse Prælatum cum eo dispensare; utpote qui non habet possessionem supe-

superioritatis in illum, quam solum habet Prælati veritatem domicilii. Ita *P. Sanch. cit. n. 2.*

335. Dico 3. Quando dubitatur, an potestas extendatur ad illum casum, nempe ad tale votum, potestasque sit ordinaria, dubium verò sit juris, ut quando constat de voto emisso, dubium tamen est, an sit reservatum, potest tunc Prælati dispensare in tali voto, ad quod illius potestas extenditur. Ita *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 40. n. 26. & cap. 44. n. 3.* Probatur, quia votum in prædicto eventu non censetur reservatum; ergo &c.

336. Hinc deducit idem *P. Sanchez cit.* similiter dicendum esse in dubio facti, quando scilicet vovens scit, se peregrinationem vovisse, aut castitatem; dubitat tamen, an peregrinatio fuerit Compustellana; & an voverit absolutam castitatem, cuius votum est reservatum, aut solam partialem, cuius votum non est reservatum; siquidem in neutro casu votum est reservatum, ut ait *P. Sanchez*, idem à fortiori asserens, dicendum esse, quando dubium est juris simul & facti; nam in dubio, licet non sufficienti ad tollendam obligationem voti, nunquam votum censetur reservatum.

337. Si verò potestas sit delegata, sitque dubium juris ex parte potestatis, quia scilicet est limitata, dubitaturque an extendatur ad tale votum, præsumendum est extendi; siquidem cum potestas dispensandi sit favorabilis, late est interpretanda; ergo quoties dubium est, an extendatur ad aliquem casum, censenda est extendi, posseque in illo dispensari. Ita cum aliis *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. n. 4.* qui idem affirmat de potestate delegata, quando dubium est juris, aut facti, aut utriusque prout supra diximus à *num. 335.* de potestate ordinaria.

338. Dico 4. In dubio, an sit legitima causa dispensandi, tutus erit subditus utendo dispensatione, si Prælati proposita sibi verè causa, cum eo dispenset. Probatur, quia in tali dubio standum est iudicio superioris; ergo &c. Ita *D. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 12. ad 2. D. Anton. Sylvest. Aragon. P. Soar. tomo 1. de Relig. lib. 2. cap. 33. n. 3. & tomo 2. de Voto, lib. 7. cap. 17. n. 6. & 20. & tomo 5. in 3. part. d. 41. sect. 3. P. Sanch. verb. Votum, num. 20. & cum illis P. Sanch. cit. num. 6.*

339. Difficultas 4. Utrum dispensatio in prædictis dubiis concessa corrumpat, detecta postea veritate in contrarium? Dico 1. In dubio de superioris potestate, an scilicet sit legitimus, qui tamen talis communiter existimabatur, habebatque titulum, licet invalidum ratione impedimenti occulti, valebit dispensatio, licet postea detegatur, non esse legitimum superiorem. Ita *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. n. 10.* Probatur, quia gesta per talem superiorem, sive sit ordinarius, sive delegatus, valent, idque sive spectent ad forum externum, sive ad internum, prout supra diximus ex *l. Barbarius, ff. de officio prator.* ergo &c.

340. Dico 2. Si in dispensatione ita concessa detegatur postea, superiorem dispensantem caruisse titulo collato à legitimo superiore, non valebit dispensatio ab eo facta pro utroque foro. Ita *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. num. 11. & latissime cum multis lib. 3. de Matr. d. 22. an. 49.* Probatur ex cap. *Infamis, 3. quest. 7. vers. Peruntamen, & ex l. Barbarius cit.* Ubi utrumque Jus ponderat, non solum communem errorem, sed etiam auctoritatem superioris delegantis intercessisse, ut gesta valeant, prout jam supra diximus.

341. Dico 3. In dubio, an potestas delegati extendatur ad hunc casum: aut an id votum sit reservatum: aut an causa sit sufficiens, dispensatio bona si

de concessa non corrumpit, detecta postea veritate in contrarium. Ita *P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 44. n. 10.* Probatur primò, quia in his dubiis cum potestas dispensandi sit legitime concessa, superior legitime eam usus est; ergo valor talis dispensationis non pender ab eventu futuro. Secundò, quia recta Ecclesiæ administratio hoc petit; alioqui non vitarentur innumeri scrupuli, qui aliàs suboriri possent; ergo &c.

Dico 4. Si dubium sit ratione veritatis tacite: aut falsæ causæ expressæ: aut an illa fuerit finalis, corrumpit dispensatio, detecta veritate in contrarium. Ita *P. Sanch. cit. num. 10.* Probatur, quia hoc non pertinet ad superioris potestatem, quæ ad bonum Ecclesiæ est late interpretanda, sed solum reducit ad veritatem illius voluntatis, quæ est tantum dispensare juxta veritatem sibi propositam; ergo &c.

Difficultas 5. Utrum Superior peccet dispensando, si causa dispensandi sit dubia? Respondeo affirmative, si dubium sit, an absolute detur causa: negative tamen, si certum sit dari aliquam causam, dubium verò est, an sit sufficiens. Ita *Sylvest. verb. Dispensatio, quest. 14. n. 20. sine Palacios 4. dist. 38. d. 3. vers. Est igitur, & cum illis P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 45. num. 10.* Probatur 1. pars, quia potestas dispensandi exigit necessariò causam; ergo non debet extendi ad dubium, an sit causa; neque enim recta Ecclesiæ gubernatio petit hujusmodi potestatem dispensandi.

Probatur 2. pars, quia in eo dubio in benigniorem partem est inclinandum, credendumque in tali dubio dari Superiorum facultatem; ergo &c. Confirmatur, quia id petit bonum, & suave Ecclesiæ regimen; alioqui potestas dispensandi esset multis scrupulis exposita, si ad solas causas certas extendere, & vix auderent superiores dispensare; ergo &c.

Ex dictis deducitur primò, cum dubitatur, an sine dispensatione teneatur quis jejunare, aut aliam legem servare, eò ipsò dari sufficientem causam ad dispensandum, idque absque aliqua commutatione. Ita *P. Granad. 1. 2. contr. 7. tr. 2. d. 6. sect. 1. num. 2. & cum eo Diana part. 4. resol. 44. tr. 3.* Secundò, quando dubium est, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare in lege superioris; siquidem in tali casu adest præsumptio pro libertate; neque alicui morali periculo facienda contra legem exponitur. Ita *P. Pal. tomo 1. tract. 3. d. 6. punct. 5. num. 10. P. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 4. P. Sanch. verb. Dispensatio, num. 1. Barbosa de potest. Episcopi, p. 2. alleg. 35. n. 19. Diana part. 4. tract. 3. resol. 46.* Addens, id verum esse, etiam si inclines, te indigere dispensatione contra *Bonac. d. 1. de Legib. quest. 2. punct. 1. n. 18.*

Tertiò deducitur, qui dubitat, an sua dispensatio in voto castitatis extendatur etiam ad secundum matrimonium, solum posse illà uti ad primum; siquidem dispensatio est strictè interpretanda. Ita *P. Bard. cap. 5. §. 4.* Præsumendum tamen est pro valore dispensationis, quando quis dubitat, an in petitione tacuerit verum, aut falsum expresserit; siquidem tunc cum non præsumatur delictum ex *l. Merito, ff. Pro socio*, præsumptio erit, ut non deliquerit, sicque pro valore dispensationis. Ita *P. Sanchez lib. 4. decal. cap. 44. n. 9.*

Quartò deducitur, si Episcopus habeat duos Vicarios generales, & Pontifex committat dispensationem Vicario generali, dubium autem sit, cui nam ex illis, quia nullius nomen exprimitur, præsumi delegationem commissam esse principali Vicario: si autem ambo sint æque principales, & delegatio

gatio sit contentiosa, quia scilicet lis est inter duos, nullum ex illis Vicariis cum effectu esse Judicem, sed recurrendum esse ad delegantem: in gratuitis autem, quando non est pars adversa, illum esse judicem, cui rescriptum fuerit præsentatum; siquidem in primo casu posset pars contraria eligere judicem suspectum alteri parti cum aliquo illius damno; hoc autem non contingeret in secundo casu. Ita cum *P. Sanch. & aliis, P. Bard. cap. 5. §. 3.*

348. Quinto deducitur, incertitudinem personæ, cum qua dispensatur, vitare dispensationem (idemque dicendum de collatione beneficii, & privilegio,) ut si Pontifex dicat, dispenso cum filio Petri, cum tamen Petrus habeat plures filios. Ita *Lara lib. 1. cap. 10.* Similiter non valet dispositio incerta, nisi quando in uno tantum potest verificari, ut si quis dicat, instituo hæredes habentes jus ad hæreditatem; si enim unus tantum habeat jus, non vitatur dispositio; maxime verò si multi habeant æquale jus. Ita *Lara cit.*

SECTIO XV.

De Conscientiâ dubiâ in materia privilegiorum.

349. **S**UPPONO primò ex materia de legibus, privilegium definiri: Est privata lex aliquod speciale beneficium concedens. Ita sumitur ex *cap. Privilegia, dist. 3. cap. In his, de Privileg. cap. Abbate, cap. olim, de verb. signif. Dicitur lex, non propriè; siquidem non imponit necessitatem privilegiato utendi illos, sed quia quamdiu durat, aliis necessitatè imponit, ne privilegiato usum illius impendant. Dicitur lex privata, quia regulariter personæ privata conceditur. Dicitur speciale beneficium concedens, ut excludantur leges pœnales, quæ licet in defensionem aliquarum personarum, aut locorum concedantur, privilegii tamen naturam non obtineant, quia non per se concedunt beneficium, licet hoc resultet ex impositione pœnæ, & delinquentis punitione.*

350. Suppono secundò, privilegium differre à lege, quatenus hæc respicit jus commune, & publicum; hoc autem jus speciale, & privatum. Differre à dispensatione, quatenus hæc latius patet, semper enim dispensatio est alicujus legis dispensatio, & non ita privilegium. Differre à gratia, & beneficio Principis tanquam inferius à superiore; siquidem omne privilegium est gratia, & beneficium, non tamen è contra; absolutio enim ab excommunicatione, & dispensatio irregularitatis sunt gratia, non tamen privilegium. Differre etiam à rescripto, quatenus hoc, si propriè illius nomen attendamus, significat responsum Principis scriptum ad decisionem alicujus dubii juris sive communis, sive specialis, quod non habet privilegium.

351. Suppono tertio, privilegium multipliciter dividi. Primò in reale, & personale, hoc est illud, quod personæ ratione ipsius conceditur: illud verò, quod ei conceditur ratione alicujus rei ab eâ distinctæ. Secundò in perpetuum, quod perpetuò durare potest, nisi à concedente revocetur: & in temporale, quod de se tempore limitato finitur. Tertiò in gratiosum, in quo non habetur respectus ad ulla merita: & in remuneratorium, quod ob aliqua merita conceditur. Quartò in purum, quod omni conventionione, & pacto caret: & in conventionale, quod ex conventionione, & pacto conceditur. Quintò in affirmativum, quod concedit facultatem ad ali-

Tom. 2.

quid efficiendum: & in negativum, quod illam concedit ad aliquid omittendum. Sextò in commune; quod ob finem boni communis conceditur: & in singulare, quod ob bonum alicujus singularis personæ conceditur. Septimò in favorabile, quod ita favorem continet, ut nemini sit incommodum, quale est audire Missam tempore interdicti: & in odiosum, quod ita favet, ut alteri noceat, quale est eximi à decimarum solutione. Octavò in scriptum, quod per scripturam conceditur: & in non scriptum, quod verbo tenus à Principe conceditur. Nonò in privilegium pro foro interno, quod pro illo tantum prodest: & pro foro externo, quod etiam pro interno prodest privilegiato. Decimò in privilegium ad instar, sive ad instantiam, quod ad instantiam privilegiati, aut alterius illius partes gerentis conceditur, aliter non concedendum: & in concessum motu proprio, in cujus concessione Princeps à se ipso movetur. De his omnibus, aliisque divisionibus sigillatim agunt Theologi, & nos cum illis agemus in materia de Legibus. His suppositis.

Difficultas 1. Utrum in dubio an privilegium sit revocatum, præsumendum sit revocatum? Negativè. Ita cum communi sententia *P. Bard. cap. 4. §. 6.* Probatur, quia revocatio cum sit odiosa strictè interpretanda est ex *Regul. Odia, 15. de regul. jur. in 6.* ergo in dubio non est præsumenda.

Difficultas 2. Utrum in dubio an privilegium hæc & nunc eximat Religiosos à potestate Episcopi, ad ipsum Episcopum spectet interpretatio talis privilegii? Negativè. Probatur, quia interpretatio privilegiorum Regularium, quando dubia sunt, reservatur Papæ, ut concessit Paul. III. in Bullâ ann. 1549, Societati nostræ JESU; idemque concessum est Congregationi Benedictinorū. Predicatoribus, & Minoribus, ut assert *P. General. Claudius in Compendio privileg. Soc. JESU verb. Privilegia, §. 1. & 4.* Ita *P. Henric. lib. 7. de Indulgent. cap. 25. n. 6.* neque enim, ait, potest quis jus dicere in propria causa ex *l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdic. omni. judicium, tenet etiam P. Sanch. lib. 6. consil. cap. 9. dub. 1. n. 34.*

Difficultas 3. Utrum in dubio, an confirmatio privilegii sit ex certa scientia, seu (quod idem est) sub formâ speciali: aut sub forma communi, præsumatur facta sub forma communi? Affirmativè. Prob. quia tunc præsumptio stat contra privilegiatum. Ita communis sententia apud *P. Bard. cit. §. 4.*

Difficultas 4. Utrum si Pontifex concedat tibi Episcopatum, Canonatum, Beneficium, aut Cathedram, sicut habuit tuus antecessor, talis concessio sit privilegium, quod dicitur ad instar, extendaturque ad privilegia etiam personalia, quibus gaudebat antecessor? Et ratio dubitandi est, quia in privilegiis personalibus non datur successio, sed cum ipsa personâ extinguuntur ex *Regul. Privileg. de reg. jur. in 6.*

Nihilominus cum distinctione dicendum, si forma illorum verborum sit ordinaria, qua ordinariò concedi solet illa dignitas, tunc non se extendi ad privilegia personalia antecessoris: maxime autem si forma non sit ordinaria, sed nova, & specialis. Ita *P. Soar. lib. 8. de Legib. cap. 15. n. 11. contra Barbof. in l. quia tale, ff. solut. matrim. cit. Gloss. in l. Hares in omne 37. ff. de acquir. heredit. & ibi Angel. Roman. & Jason. lib. 1. Consil. Consil. 20. tenet etiam P. Pal. tr. 3. de Legib. d. 4. pun. 2. §. 8. n. 5.* qui hanc doctrinam confirmat ex praxi in Ecclesiâ Compostellana.

Probatur, quia in secundo casu cessant præsumptiones contrariæ sententiæ: siquidem tunc non est successio, neque ordinaria dispositio; & aliunde

X

dat 14